

**De voorwaarden om de Onderwereld te mogen bezoeken (Verg. Aen. VI, 124-155)**

Tālibus ōrābat dictīs ārāsque tenēbat, sīc orsa loquī vātēs: ‘Sate sanguine dīvum, Trōs Anchīsiadē, facilis dēscēsus Avernō: noctēs atque diēs patet ātrī iānuā Dītis; sed revocāre gradum superāsque ēvādere ad aurās, hoc opus, hic labor est. Paucī, quōs aequus amāvīt Iuppiter aut ardēns ēvexit ad aethera virtūs, dīs genitī potuēre. Tenent media omnia silvae, Cōcūtusque sinū lābēns circumvenit ātrō. Quod sī tantus amor mentī, sī tanta cupīdo est bis Stygiōs innāre lacūs, bis nigra vidēre Tartara, et īnsānō iuvat indulgēre labōrī, accipe quae peragenda prius. Latet arbore opācā aureus et foliīs et lentō vīmīne rāmus, Iūnōni īnfernae dictus sacer; hunc tegit omnis lūcus et obscurīs claudunt convallibus umbrae. Sed nōn ante datur tellūris operta subīre auricomōs quam quis dēcerpserit arbore fētūs. Hoc sibi pulchra suum ferrī Prōserpina mūnus īnstituit. Prīmo avulsō nōn dēficit alter aureus, et simīlī frondēscit virga metallō. Ergo altē vestīga oculīs et rīte repertum carpe manū; namque ipse volēns facilisque sequētur, sī tē fāta vocant; alīter nōn vīribus ūllīs vincere nec dūrō poteris convellere ferrō. Praetereā iacet exanimum tibi corpus amīcī (heu nescis) tōtamque incestat fūnere classem, dum cōnsulta petis nostrōque in līmine pendēs. Sēdibus hunc refer ante suīs et conde sepulcrō. Dūc nigrās pecudēs; ea prima piācula suntō. Sīc dēmum lūcōs Stygis et rēgna invia vīvīs aspiciēs.’ Dīxit, pressōque obmūtuit ōre.	125 130 135 140 145 150 155
---	---